QVÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 13. Februarii.

M. JACOBO DE BOURGES, Doctore Medico, Præſide.

An nutritio & accretio ad motus leges exigendæ?

I.

BUCCA inſtructum animal ſimul natum ſugit. Suctio ſolius buccæ actione perficitur abſque reſpiratione. Lac in ore mutationis rudimenta ſubit à ſucco ſalivari. Ad fauces pellitur linguâ palatum comprimente. Muſculis pharyngis linguæ motum ſequentibus, & viam aperientibus deglutitur in ſtomachum non omnino vacuum. Qui ibi reperitur humor coctionis artifex cibi benignè efferveſcentis & ebullientis craſſiores particulas ſubigit & ſolvit in chylum. Hic fluidior carneæ membranæ fibras unà cum ſpiritibus percellens, ventriculi portas arctius concluſas, recludit. Chylus inteſtinis exceptus, mundatur bilis admiſtione, non ſine ſucci pancreatici auxilio. Reſtat quod craſſius eſt, quod tenuius permeat ad cor per venas proprias. In harum oſcula irrepit continentium inteſtinorum innatâ compreſſione. Admiſſum nervearum fibrarum beneficio, quo omne vas beatur, vehitur, abſque refluxus metu, cum valuulam ſuperavit. Valuula quaſi vinculum robur addit fibris, & rei movendæ fulcrum, vectionem partitur.

II.

HUMOR albus ſanguini confuſus rubere incipit. Color hic ruber à certâ ſuperficiei ratione profectus, hepati & cordi communicatur. Sanguis ἀκατέργαστος in corde teritur vi ignis connutriti, inde in pulmonis cellularum anfractibus voluitur & revolvitur, ad id conferente aëris ἐλαυνομένου facultate. Id pulmonum officium ſi malè fiat, labes ſanguini aſpergitur, non facilè eluenda, & partium paupertate evidens. Sanguis in ſiniſtro cordis ſinu recoctus, cum impetu cujus vis in omne corpus micat, erumpit in aortam. Eruptionis cauſa cordis ipſius impulſio, cujus modum forma demonſtrat. Cor μῦς κάρτα ἰσχυρὸς fibras habet intortas & inverſas ortas ab extima baſi & revolutas terminaraſque in intima baſi oppoſiti lateris. Hinc per lineam obliquam, apice accedente ad baſim, ſanguis exprimitur non omnis. In receſſibus quæ reſidua latet portio, ab igne mobilior, è latebris proſiliens, motum cordis à ſpiritibus concitatum accelerat, vimque accedenti ſanguini addit. Sanguis omnis generis alimoniæ dives ubique fluit partium jacturam reparaturus.

III.

PARTES jacturam patiuntur perpetua calidi mobilitate, abſumentiſque aëris vi; & continuò reſarciuntur. Unde hodiè non idem corpus quod nuper. σῶμα οὐδέποτε ταὐτὸ οὐδενός. Detrimenti ratio partium inanitas, quæ creſcens poſt aliquot dies occidit. Licet quibuſdam in avibus nec jactura fiat per hyemem nec deſideretur alimentum, frigore vias obturante, & pituitâ calidi impetum remorante. Conveniens detrimenti remedium alimentum, non admovetur niſi pellatur. Agitur pulſione tantò minori, quantò major eſt illa qua arteriæ expanduntur; ſed quod in expanſione deperditur ingenita arteriarum ſyſtole compenſatur. Omnino omnes arteriæ eodem tempore inflantur, minus conſpicuè minores. Hoc motu proxima materia quaſi nutriens truditur, & ſpatia occupat; tunc revera nutriens cum ſecreta ab invtili quæ præceps amandatur quieſcit. Tota hæc nutritionis res τεκτόνων ἢ οἰκοδόμων δίαιταν ἀνθρωπίνην μιμεομένων operi pulchre reſpondet. Reſiduus ſanguis per medias carnes ſibi viam facit ad cor ruentibus partibus idem beneficium iterum collaturus. Partium fundamenta ſeu fibræ,

vix aliquid deperdentes, illo minùs egent, at maxime quæ inter illas jacent ſpatia reſarciri amant.

I V.

FIBRAS ipſas & fibrarum ſpatia replens cibus cùm effluenti reſpondet, nutritio completur, cum excedit accretio, quæ eſt corporis αὐξίμου in majorem molem expanſio: hæc certa menſura concluditur, quæ à totius ſtructura pendet. Fibrarum extenſionem ſiſtit pondus partium extendendarum, & continentis aëris compreſſio. Utrumque primis annis impotens, inclinatâ adoleſcentiâ vincit virtutis agentis robur. Protendi recuſant maximè oſſa, deinde quæ ad ea pertinent fibræ. Et rumpuntur ſi violenta cauſa à proprio termino cogat multùm recedere. Legitima accretio omnis eſt dimenſionis, cum definita tamen ratione: unde quæ in latum tantum fit non verè accretio, ſed πάχυνσις ſive plenioris cibi collectio, cujus medela λιμοκτονίη. Cum partes convenientem menſuram ſunt adeptæ & æquabili reficiuntur ſucco, σάρκεται τὸ σῶμα καθαρῇ σαρκὶ, animæ immortalis caduca ſedes.

V.

CUM ergo advectus cibus inſeratur in partium inane, & potentiâ cordis & fibrarum arterias componentium contractione, ad motus rationem nutritionis & accretionis ordo eſt exigendus, arteriæ pleniores accepta à corde materia, expanduntur & ſubito ſtringuntur. A conſtrictione longè efficacior cibi protruſio quam à prima pulſione. Conſtrictæ fibræ ſanguinem premunt qui fluidiſſimus nullo patente oſtio ut cuneus in vacuas partes figitur: ubi moratur donec attritione evaneſcat. In ea impulſione motus leges obſervantur, & ἀπὸ τοῦ ἰσχυροτάτου τὸ κουφότερον ἐξελαύνεται. Cum ſanguis manere aptus eſt caro fit εὔογκος; ubi mobilior ſubtiliorque quieſcere non eſt potis ἄογκον ſive macrum corpus. Ut in renes ſerum, in veſiculam fellis bilis tantum penetrat, ſic in integras partes non niſi conveniens ſuccus pervadit: quod ſtructuræ debetur, non attractioni, quæ aut nulla eſt, aut ſi quæ ſit vera eſt pulſio, ſed malè intellecta. Non poteſt pars aliquid remotum ſibi ſumere (quod attrahere dicitur) niſi facultatem ad ſe pellendi habeat. Ipſa ſuctio & reſpiratio pulſio eſt. Suctio fit dilatata bucca, & comprimentibus labiis. Reſpiratio inflatione muſculorum aë-

rem in pulmonem pellentium. Motu & quiete condita floret rerum univerſitas. Eadem arte animalium vita ἀπομίμησις τοῦ ὅλου ſtat & ruit.

Ergo nutritio & accretio ad motus leges exigendæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus de Jouvanci.
M. Germanus Preaux.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.
M. Joannes Cordelle.
M. Petrus Ozon.
M. Guillelmus Lamy.
M. Petrus Bourdelot.
M. Claudius Perraut.
M. Tuſſanus Fontaine.

Proponebat Pariſiis JOANNES BOUDIN, Pariſinus Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1681.

PARISIIS,

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.